

diendum, moraliter loquendo, quia ex vitalis voti totam vitam suam, totumque vitæ tempus offert, et consecrat ad illum statum, ita hoc præceptum, quod homines obligat ad assumendam religionem christianam, statim obligat in sensu explicato. Tandem hoc est valde consentaneum usui, quem semper servavit Ecclesia; ubique enim legimus, homines satis in fide instructos statim fuisse receptos et invitatos ad baptismum suscipiendum absque ulla mora, nisi causa rationabilis intercederet, ut patet Act. 2, 8 et 40, etc. Est etiam hoc consentaneum fragilitati et periculis hujus vitæ, nam accidere facile potest, ut homo sine hoc remedio decedat, si multum differat. Est denique consentaneum propriæ charitati, ne homo privetur maximis spiritualibus bonis, quæ vel per hoc sacramentum dantur, vel illud necessario supponunt. Dixi in conclusione, quamprimum digne et commode possit, quia homo adultus prius est in fide instruendus, et ad baptismum disponendus, et quamdiu ob hanc causam baptismum distulerit, non censebitur esse in mora culpabili, tenebitur tantum moralem diligentiam adhibere, ut se ad baptismum disponat et instruat, ne ob hanc causam plus justo tempus baptismi differat, quæ obligatio oritur ex ipsomet præcepto baptismi; non enim obligat hoc præceptum tantum post sufficientem dispositionem ad baptismum recipiendum, sed absolute omnes obligat, et ideo adjuncto alio præcepto naturali, sancta sancte tractandi, consequenter etiam obligat ad non negligendam, nec nimium differendam ipsam baptismi dispositionem; alioqui vel fingendum esset aliud præceptum, vel hujus præcepti obligatio ex hominis arbitrio penderet. Ad rationem dubitandi in principio positam, D. Thom. quidem in 4, dist. 47, loco supra citato, æquiparat hoc præceptum baptismi cum præcepto pœnitentiæ; et ideo sicut hoc præceptum confitendi non obligat statim ac homo, peccat, ita idem dicendum sentit de præcepto baptismi. Cajetan. etiam supra, quæst. 68, art. 3, obscure loquitur de hac obligatione hujus præcepti, et illud videtur cæteris præceptis affirmativis æquiparare. Quæ, inquit, licet ex parte temporis non obligent, nisi in articulo necessitatis, ex parte tamen motivi ad differendum rationem requirunt; nam si sine sufficienti ratione dilatio voluntarie fiat, peccatum incurritur. Unde concludit, peccare hominem, differendo baptismum ex sola voluntate, non tamen si

ex rationabili causa illum differat. Quæ conclusio Cajetan. simpliciter vera est, et nostræ sententiæ minime contraria, si recte intelligatur. Imo ex illa necessario sequitur, obligationem suscipiendi baptismum urgere statim ac homo commode potest illum accipere, et nullam habet rationabilem causam ad differendum; nam si hanc habeat, jam non censebitur habere moralem opportunitatem ac commoditatem; et ideo nondum censetur adesse tempus, pro quo dicimus statim obligare baptismum. Quod vero Cajetan. hanc doctrinam colligit ex communi ratione præcepti affirmativi, mihi probari non potest; non enim in omnibus illis dilatio, quæ sola voluntate fit, absque alia rationabili causa, peccatum est contra tale præceptum; nam, vel præceptum jam habet tempus determinatum, intra quod implendum est, ut, v. gr. quod audienda est Missa die festo ante meridiem, et tunc dilatio, quæ fit intra totum illud tempus usque ad ultimam ejus horam, nullum est peccatum per se loquendo, quia quamdiu præceptum sufficienter impleri potest, neque aliud agitur contra id, quod in ipso decretum est, nihil contra illud peccatur; si autem ultra totum illud tempus differatur, jam illa erit transgressio præcepti, non quia est dilatio voluntaria sine motivo rationabili, sed quia est absoluta transgressio contra substantiam præcepti, quæ peccatum est, quocumque motivo fiat, nisi talem causam contineat, quæ hominem excuset a totius præcepti obligatione. Aut præceptum non habet in se expressam determinationem temporis, sed ex materia et fine talis præcepti colligenda est, et in his præceptis non est semper judicandum, an dilatio sit peccaminosa, necne, ex motivo et ratione differendi; alioqui omnia obligarent ad exequendam actionem præceptam, statim ac commode fieri potest, neque ulla intercedit causa rationabilis ad differendum; quod tamen constat esse falsum in præcepto confessionis, stando juri divino, aut in præcepto amandi proximum, et similibus. Prius ergo determinanda est aliquo modo quantitas temporis, intra quam potest præceptum obligare; nam intra illam differri poterit executio sine peccato, etiam si sola voluntate fiat absque alia causa; assignandus autem erit aliquis terminus, ultra quem non liceat actionem præceptam differre, neque ex voluntate, neque ex causa, nisi sit tam gravis, quæ sufficiat excusare a præcepti observatione. Censeo igitur in præcepto

baptismi esse singularem rationem, propter quam quantitas temporis, pro quo obligat, et intra quod obligat, ita limitanda, et coercenda sit, ut moraliter censeatur statim obligare, quam primum occurrerit opportuna occasio illud suscipiendi, quia supposito fine et materia hujus præcepti, illud tempus non solum censetur commodius, sed necessarium, moraliter tamen, et prout res humana postulat, definiendum. Quare non est omnino in hoc eadem ratio de confessione, et de baptismo, quia confessio non est spiritualis regeneratio, nec fundamentum christianæ religionis, nec janua Ecclesiæ, sicut est baptismus. Ad exempla vero Martini, Ambrosii, et hujusmodi, dicendum est, ex particularibus factis, aut eventibus non posse sumi efficax argumentum; nam in rebus humanis multa occurrunt, quæ possent hominem sine peccato impedire, et ita in dictis casibus intervenire poterunt speciales causæ, quæ ad id cogent; præsertim quia tunc baptisma tantum conferebatur duobus anni temporibus, in quibus facile occurrere poterant impedimenta, propter quæ necessarium existimaretur ab uno in alium annum baptismum differre; fortasse etiam interdum fiebat ex aliqua ignorantia, vel nimia reverentia, qua ignorantia videtur Tertullianus laborasse, qui etiam erravit, existimans non esse infantes baptizandos, ut supra tractatum est. Ad ultimam rationem ibi factam (cætera enim omnia expedita sunt) respondetur, illam commoditatem consequendi remissionem totius pœnæ in fine vitæ, fere nullius momenti esse, si cum aliis rationibus et utilitatibus explicatis conferatur; quales sunt ingredi Ecclesiam, frui aliis sacramentis et sacrificio, et communicatione Sanctorum, et communibus suffragiis, et bonis operibus Ecclesiæ. Deinde licet humanum sit post baptismum susceptum peccare, tamen idem periculum est etiamsi baptismus non suscipiatur, et aliunde augeri potest, per defectum gratiæ baptismalis, quæ ad non peccandum juvat; vel ob spem consequendi facilem et plenam veniam omnium peccatorum in fine vitæ, quod esset abuti valde tanto divino beneficio, contra finem et intentionem ejus; ergo propter hoc periculum peccandi non licet baptismum differre; ideo enim instituta est pœnitentia, quæ licet laboriosa sit, tamen hoc ipsum divina providentia et justitia ordinatum est, ut vel timore pœnæ homines a peccando arceantur.

4. An Ecclesia potuerit tempus baptismi

suscipiendi determinare. — Circa posteriorem partem difficultas est, an potuerit Ecclesia hoc tempus baptismi determinare, et an id fecerit. Cajetanus enim, d. quæst. 68, art. 3, concedit posse Ecclesiam hoc tempus determinare; negat tamen se invenire præceptum, quo id Ecclesia determinaverit. D. Thom. autem eo loco utrumque affirmare videtur, dum ait, peccare catechumenum, si per tempus institutum ab Ecclesia, differat accipere baptismum, nisi ex causa necessaria et licentia Praelatorum Ecclesiæ; non enim esset necessaria talis licentia, nisi præceptum Ecclesiasticum ad hoc obligaret; neque id esset ullum peccatum, nisi talis institutio Ecclesiæ haberet vim præcepti; atque ita videtur D. Thom. intellexisse Soto in 4, d. 5, quæst. un., art. 3. Et quoad potestatem potest hoc probari, quia Christus dispensationem sacramentorum Ecclesiæ commisit; ergo dedit illi potestatem definiendi tempus, pro quo baptismus esset necessario suscipiendus; hanc enim eandem habet Ecclesia in cæteris sacramentis, quæ sub præceptum divinum cadunt, ut sunt Eucharistia et pœnitentia. Estque valde necessaria ad convenientem sacramentorum usum, et ad tollendas dubitationes, utque certo constet hominibus, quo tempore teneantur hæc præcepta servare. Et confirmatur, nam duobus modis potest præcipi hæc temporis determinatio. Primo, præcipiendo aliquam dilationem, seu prohibendo, ne ullus suscipiat baptismum, nisi tali tempore, vel post tot dies catechismi, aut alia simili ratione. Secundo, præcipiendo accelerationem, seu prohibendo, ne ultra tale tempus differatur baptismus; sed constat, posse Ecclesiam priori modo præcipere tempus baptismi, ut constat ex antiquo usu supra tractato in disputatione de cæremoniis, et ex cap. Non ratione, cum seq., de Consecr., d. 4; ergo eadem ratione poterit præcipere posteriori modo certam temporis determinationem. Quod vero ad usum hujus potestatis spectat, videmus Ecclesiam jam definivisse hoc tempus, quoad baptismum infantium, ut supra etiam diximus; de baptismo autem adultorum, quamvis de hac re nulla inveniatur lex Ecclesiastica, tamen consuetudo ipsa suadet, et verisimile est, Ecclesiam obligare catechumenos, ut statim post perfectum catechismum ad lavacrum accedant, et hac lege et quasi pacto implicito eos admittere in catechumenorum numerum, eosque instituere, et ad baptismum præparare, ut ipsi etiam teneantur.

tur intra definitum tempus baptismum suscipere, atque hoc modo explicat hanc sententiam Soto, loco supra citato, qui hujusmodi pactum colligit ex eo quod olim baptizandi in initio catechismi sua nomina dabant.

5. *Potest Ecclesia interpretari divinum jus, non vero illud determinare speciali praecepto.* — Nihilominus dicendum sentio, in Ecclesia non esse directam potestatem ad praecipendum adultis non baptizatis, nec baptizatorum filiis, ut intra tale tempus baptizentur, si proprie loquamur de praecepto positivo humano. Aliud est enim interpretari divinum jus, aliud determinare illud speciali praecepto. Primum potest sine dubio facere Ecclesia in hoc praecepto, sicut et in aliis; nam apud illam est clavis scientiae, et interpretationis divinarum legum. Unde, si Ecclesia interpretetur, in tali tempore vel opportunitate obligare baptismum, revera obligabit, non tamen ex vi praecepti Ecclesiastici, sed ex vi solius divini juris, et catechumenus etiam tenebitur fidem adhibere tali interpretationi sufficienter sibi propositae, non ex vi alicujus legis humanae, sed ex vi praecepti fidei, seu juris divini, quo omnes homines tenentur credere definita ab Ecclesia, vel etiam naturali jure, quo tenetur quis legitimam legum interpretationem sequi, eique obedire. Secundum autem, scilicet specialem determinationem adhibere divino praecepto baptismi per novum Ecclesiasticum praeceptum, hoc negamus posse fieri ab Ecclesia respectu adultorum. Probatur ex illo Pauli 1 ad Cor. 5: *De his, qui foris sunt, nihil ad nos*; ex quo colligunt omnes Doctores Ecclesiam non habere jurisdictionem in eos, qui non sunt membra Ecclesiae visibiles, qualis a Christo est instituta, cujusmodi membra sunt solum homines baptizati. Unde Concil. Trident., sess. 44, cap. 4: *Ecclesia, inquit, in neminem judicium exercet, qui non prius in ipsam per baptismi januam fuerit ingressus.* Eadem autem est ratio de praecepto, ac de judicio, quia non minus jurisdictionem unum requirit, quam aliud; ergo adultus, quantumvis catechumenus, non potest, antequam baptizetur, propter praecepta affirmativa Ecclesiae directe obligari; ergo non est in Ecclesia potestas ad hujusmodi determinationem faciendam per speciale praeceptum humanum; patet consequentia, quia tale praeceptum, ut esset alicujus momenti, deberet obligare ante baptismum. Et confirmatur, quia alias,posito tali praecepto, posset Ecclesia cogere cate-

chumenum ad illud implendum, et punire illum nisi ita faceret, quod esse falsum constat ex Paulo et Concil. Trident. citatis; sequela vero patet, quia potestas directiva, et coercitiva conjunctae sunt in Ecclesia; et per se loquendo, ad eosdem subditos extenduntur, quia potestas directiva inefficax esset sine coercitiva.

6. *Nunquam fuit praeceptum determinans tempus baptismi respectu adultorum infidelium.* — Secundo ex hoc principio inferitur, neque esse, neque fuisse unquam in Ecclesia tale praeceptum respectu adultorum infidelium, seu non baptizatorum; nam si non est potestas, neque actus esse potest. Et confirmatur utrumque, quia non est necessarium tale praeceptum, et consequenter nec talis potestas; nam cum praeceptum baptismi obliget statim habita opportunitate, secum affert determinationem suam; ergo nulla indiget determinatione per Ecclesiasticum praeceptum, sed sola sufficiente interpretatione et declaratione divini juris; et revera Soto loco citato quoad hoc nihil differt a nostra sententia, quamvis non satis explicuerit modum determinationis. Quod vero ibi addit de pacto inter catechumenum et Ecclesiam, mihi non videtur satis fundatum, quia, quod catechumeni sua nomina darent, nullum argumentum est specialis obligationis et pacti, sed solum cujusdam publici testimonii de voluntate catechumeni, et de tempore, quo incipiebat solemniter ad baptismum praeparari. Sicut quando novitius religionem ingreditur, nomen suum dat, ut constet de ingressu ejus, non tamen ideo se obligat ad profitendam religionem intra tale tempus; neque si retrocedat, transgreditur aliquod pactum cum religione initum. Unde confirmatur simili argumento supra facto, nam si intercessisset pactum inter catechumenum et Ecclesiam, posset postea cogi catechumenus ad standum promissis; faceret enim injuriam Ecclesiae; unaquaque autem suprema respublica, seu potestas potest injurias sibi illatas vindicare; posset ergo Ecclesia punire catechumenum a fide retrocedentem, eumque ad baptismum, seu fidei professionem cogere; consequens autem est falsum, ut ex testimoniis supra adductis constat, et latius ostenditur in materia de fide. Nullum ergo videtur intercedere tale pactum, sed ad summum, videtur Ecclesia statuisse, ut qui in catechumenorum numerum recipiuntur, tempore ab Ecclesia definito baptizentur, et in hoc judicio Ecclesiae pareant:

alioqui e catechumenorum numero rejiciantur, non per modum poenae, ac si essent subditi, vel aliquam Ecclesiasticam legem essent transgressi, aut obligationem Ecclesiae factam rupissent, sed solum per modum cujusdam convenientis dispositionis suorum beneficiorum, et suarum actionum, ac ministeriorum, ut convenienti modo eos inducat ad praeceptum divinum exequendum; hoc enim modo intellectum, hoc factum est rationi consentaneum; alio vero modo intellectum videretur esse contra eam libertatem, qua Christus voluit, homines ad baptismum venire, quod etiam exemplo supra posito explicari potest de novitio habitum religionis assumente; nam licet absolute obligari non possit, ut intra certum tempus profiteatur, potest tamen sub conditione seu disjunctione obligari, ut, vel intra illud tempus profiteatur, vel habitu religionis privetur.

7. *Potest Ecclesia determinare tempus baptismi pro filiis christianorum proprio et speciali praecepto.* — Tertio addendum est, posse Ecclesiam proprio et speciali praecepto determinare tempus baptismi pro filiis christianorum, vel baptizatorum hominum; hoc constat ex supra dictis. Et ratio est, quia ratione parentum acquisivit jus in filios, ut in superioribus etiam tractatum est. Ad D. Thom. ergo in principio citatum respondere possumus, ipsum vocasse tempus institutum ab Ecclesia, non illud, quod speciali praecepto Ecclesiastico determinatum est, sed illud, quod determinatum est ab Ecclesia, tanquam sufficiens, ut in eo incipiat obligare jus divinum.

8. Potest item Ecclesia tempus aliquod statuere tradendo baptismum, et constituere sufficiens tempus, et locum, omnemque opportunitatem ad catechismum subeundum, et baptismum intra illud tempus suscipiendum; et tunc peccabit adultus sine causa differendo baptismum, non tamen contra praeceptum Ecclesiasticum, sed contra divinum tantum.

9. *Ad argumenta.* — *Quomodo catechumeni, et infideles subditi esse possint Ecclesiae.* — Ad primam rationem, qua suadet haec potestas, jam declaratum est, quomodo in hoc praecepto, neque est necessaria, propter intrinsecam determinationem ejus; neque etiam moraliter possibilis, quia ante executionem hujus praecepti divini de baptismum suscipiendo, non est homo subditus Ecclesiae. Ad confirmationem primo dici potest illa praecepta non tam obligare homines baptizandos,

quam ministros ipsius Ecclesiae, quibus potest ipsa praecipere, ne baptismum administrent, nisi talibus temporibus, vel cum talibus conditionibus. Secundo, licet concedamus, illa praecepta directe etiam obligasse baptizandos, negatur similitudo; non est enim par ratio, quia cum ad Ecclesiam pertineat dispensatio sacramentorum, potest praescribere modum, et caeremonias, seu ritus convenientes ad decentem eorum administrationem, et usum; quibus ab Ecclesia praescriptis obligantur etiam infideles et catechumeni, non tam Ecclesiastico quam naturali et divino praecepto, quo tenentur res sacras sancte et reverenter tractare, servando modum in usu sacramenti, quem Ecclesia praescripsit, et consequenter possent transgressores hujus legis ab Ecclesia puniri propter injuriam sibi, et irreverentiam sacramento factam, sicut posset Ecclesia punire infidelem, qui templum christianorum violaret, vel sacramentum conculareret. Maxime, quod catechumenus sic suscipiens baptismum praeter ritum ab Ecclesia institutum per ipsum baptismum fieret Ecclesiae subditus, et ideo mirum non est, quod puniri possit ab Ecclesia propter indubitum suscipiendi modum, praesertim, cum supra ostensum sit, peccatum in susceptione baptismi commissum ad jurisdictionem Ecclesiae pertinere. Caetera jam expedita sunt.

SECTIO III.

Quibus ex causis possit homo ab observatione hujus praecepti excusari.

1. *Quae causae sufficiant ad differendum baptismum.* — *Aliquane ratione baptismus omitti possit.* — Aliud est inquirere, quae causae sufficiant ad differendam executionem hujus praecepti, aliud vero, quae sint satis ad illam prorsus omittendam. Illud enim prius saepe potest contingere durante vita, hoc autem posterius tantum in vitae fine contingit, quia, quamdiu homo vivit, baptizari potest; nondum ergo prorsus omisit, sed tantum distulit; solum ergo dicitur omittere, quando voluntarie sine baptismo moritur, aut probabili periculo mortis se exponit absque baptismo suscepto, quia in moralibus perinde censetur esse, exponere se morali periculo aliquid faciendi vel omittendi, et illud facere vel omittere. Hic ergo non agimus de causis sufficientibus ad differendum baptismum, quia haec possunt esse complures et variae, quia

licet oporteat esse gravem et rationabilem causam, tamen non oportet esse gravissimam, et quasi extremam. Cujus ratio est, quia, licet hoc præceptum, nacta opportunitate et ablatis incommodis, statim incipiat obligare, tamen cum ea necessitas præcepti non statim sit extrema, secluso mortis periculo, et alioqui præceptum sit affirmativum, non obligat statim cum tanto rigore, quanto in extrema necessitate obligaret, et ideo ex causa, moraliter gravi, rationabiliter differri potest; nec est certior aut specialior regula; causæ enim particulares sub scientiam non cadunt, sed per prudentiam judicandæ sunt. De absoluta ergo omissione baptismi dubitari in primis potest, an sine peccato possit interdum permitti seu omitti; et ratio dubii esse potest, quia nulla videtur esse posse ratio sufficiens ad omittendum medium simpliciter necessarium ad salutem animæ. In contrarium vero est, quia hoc præceptum, quamvis divinum, est tamen positivum; hujusmodi autem præcepta non ita obligant, quin ex gravissima causa, qualis est mortis periculum, vel alia hujusmodi, possit homo simpliciter ab eorum observatione excusari.

2. *Num in mortis periculo omitti possit baptismus.* — In hac re fere omnes docent, hoc præceptum non obligare ad sui observationem cum manifesto vitæ discrimine; atque adeo hanc esse sufficientem causam ad excusandum hominem. Ut tamen hoc melius intelligatur, distinguamus duplex vitæ periculum, quod possit esse cum baptismo conjunctum. Unum est naturale, et ab intrinseco; aliud vero violentum, et ab extrinseco. Primum erit, si contingat, hominem graviter ægrotare, et probabiliter timeat, ipsammet baptismi ablutionem magnum illi detrimentum allaturam, mortemque acceleraturam, et in hoc casu Soto, d. 3, art. 8, circa fin., absolute judicat, hanc esse sufficientem causam ad omittendum baptismum; et generalem regulam statuit, in nullo casu esse aliquem cum tali periculo mortis baptizandum, ita ut baptismus sit ei causa, vel mortis, vel multæ ejus accelerationis; præsertim, quamdiu spes ejus vitæ durat. Sed ita, inquit, censendum est de illo, ac si nulla esset aquæ copia. Fundamentum ejus est, quia tunc baptizare hominem, esset illum occidere; interficere autem innocentem, est intrinsece malum; non ergo est faciendum propter quodcumque bonum; sicut supra dicebamus, non esse projiciendum parvulum in puteum, ut baptizetur, neque in-

terficiendam matrem, ut infans baptizetur. Quæ doctrina in adultis facile credi potest fere sine distinctione ulla; nam illis exterior baptismus non est simpliciter necessarius ad salutem; possunt enim per baptismum in voto salvari, et ideo facilius excusari posse videntur; in parvulis autem videtur esse major difficultas, quia si non baptizentur, nullum eis superest salutis remedium; et ideo, quamvis respectu illorum locum non habeat obligatio et excusatio præcepti, quia non sunt capaces ejus, illi tamen, qui eorum curam gerunt, non videntur in illo casu excusari. Et augetur difficultas, quia vel infans est in eo statu, in quo est moralis spes vitæ ejus, quæ tamen minuenda, vel prorsus auferenda timeatur per baptismum; vel nulla jam est spes vitæ, etiamsi non baptizetur. In priori casu certum est, durante eo statu, non esse baptizandum infantem, quia pro tunc baptismum non dare, non est simpliciter negare, sed differre tantum, cum adhuc speretur vita, et consequenter melior baptismi opportunitas; in posteriori autem casu negare baptismum, esset prorsus omittere, et infantem perpetuo damnare; dare autem tunc baptismum, non videtur esse infantem occidere, tum quia ille jam supponitur esse sine spe vitæ; tum etiam quia per solam ablutionem, etiamsi fingatur aliquantulum acceleranda mors, tamen in eo casu illud moraliter quasi nihil reputatur, præsertim si cum æterna vita conferatur. Atque hoc argumentum in adultis fieri etiam potest, quamvis in eis minus aliquantulum urgeat, propter minorem eorum necessitatem; et quia propter majus corporis robur rarior potest in eis hujusmodi necessitas accidere.

3. *Quæ ratio adhibenda est in puero baptizando, cum periculose ægrotat.* — Primum igitur omnium, in hujusmodi eventibus observandum est, ut omnis diligentia adhibeatur ad cavendum omne corporis damnum et salutis detrimentum; videlicet, ut baptismus aspersione fiat et in quantitate modica, quæ ad baptismum sufficiat, et in ea parte corporis, in qua minus nocere possit; et si oportuerit, ut aqua etiam modico calore temperetur, et statim post aspersionem abstergatur, quæ omnia, si observentur, ut servari facile possunt, moraliter loquendo vix potest cogitari aut fingi, quod ex hujusmodi baptismo augeatur mortis periculum, vel vitæ desperatio, quantumvis infans sit debilis et in ultimis constitutus. Ratio autem hujus obligationis

est, quia tenemur non inferre damnum proximo, nec cooperari morti ejus. Unde infert Palud., dist. 3, quæst. 3, circa finem, eum, qui incaute baptizat hominem in tali periculo constitutum, utendo illa materia, quæ mortem ejus acceleret, manere irregularem. Soto vero supra dicit, se nescire, ex quo canone Ecclesiæ hoc colligatur et subdit: *Quamvis gravi sacrilegio et homicidio delinqueret.* Sed mirum est, quod peccatum homicidii agnoscat, et specialem canonem requirat, in quo illa irregularitas expressa sit, cum in universum sit cum culpa homicidii conjuncta; præsertim, cum paulo inferius ipse doceat, eum, qui baptizat puerum, ita ut mors inde illi immineret, homicidam esse et irregularem; nam de hoc etiam nullum canonem ipse citat, sed ex peccato homicidii colligit merito irregularitatem. Addendum vero est, dummodo non tantum periculum mortis puero creetur, sed etiam reipsa mors consequatur, ut in simili notavit Scotus in 4, dist. 3, quæst. 3, quia irregularitas non est imposita propter peccatum homicidii internum vel externum inchoatum, si reipsa perfectum non sit homicidium.

4. *Propter mortis periculum moraliter non est omittendus baptismus.* — Secundo hinc colligo, moraliter loquendo, accidere non posse, ut propter hoc mortis periculum omittendus sit baptismus. Quod recte suadet ratio supra facta, addendo, detrimentum salutis, quod ex baptismo prudenter applicato oriri potest, nullius fere esse momenti vel considerationis. Non tamen nego, quin in eo casu possit baptismus differri, quamdiu est spes vitæ et nullum est morale periculum subitanæ mortis, quia tunc spiritualis necessitas non urget, et consequenter, nec divinum aut ecclesiasticum præceptum, et ideo qualibet causa, etiam levis, sufficit, ut sine peccato differatur; at vero, quando jam est morale periculum mortis æternæ, pro nihilo habendum est illud detrimentum corporis, quod ex baptismo accidere potest, quia revera nec mors inde causatur, nec mortis acceleratio notabilis aut consideratione digna. Quod non solum in infantibus, sed etiam in adultis verum esse censeo, quia, licet minor videatur eorum necessitas, est tamen non parva, et interdum potest esse æqualis, et saltem utilitas semper est magna, quæ prætermittenda non est propter parvum detrimenti periculum. Hæc autem omnia per se ac moraliter et regulariter intelligenda sunt, nam si fingantur extraordinarii casus, in quibus oporteat aut

inmittere puerum in puteum ad baptizandum illum, aut eum intingere aqua venenata, quæ statim illum interficiat, aut alii similes, in eis non est utendum tali genere baptismi, quia sunt actiones plane interfectivæ hominum; et ideo in illis vera est regula a Soto assignata. Hæc tamen, quæ sunt valde per accidens, non veniunt in moralem considerationem.

5. *Quando quis teneatur suscipere vel conferre baptismum cum periculo mortis violentæ.* — De alio periculo mortis violentæ et extrinsecus illatæ, quale esset, si tyrannus minaretur mortem ei, qui vel baptismum susciperet vel infantem baptizaret, multa dici possent, quæ partim ad materiam de fide, partim ad materiam de charitate spectant; et ideo breviter illa expediam. Distinguendum ergo est primum de parvulis et de adultis; deinde de statu et necessitate, scilicet, an sit baptizandus in periculo mortis, necne; ac denique, an vis inferatur in odium fidei vel religionis christianæ, vel solum in odium personæ. Primo igitur, si baptizandus sit infans et instet probabile mortis periculum, non est prætermittendus baptismus propter timorem violentæ mortis. Contrarium hujus sentit Soto supra; probatur tamen, quia, vel mors violenta timeatur infanti baptizato, et hoc nullius est momenti in prædicto casu, quia jam ponitur constitutus in eo statu, in quo absque violenta morte imminet ei probabile periculum mortis (ita enim est casus supponendus et intelligendus), et quamvis hoc periculum corporalis mortis ex baptismo augeatur, hoc tamen merito permittendum est propter vitandum instans periculum mortis æternæ. Dico autem tunc permitti illud externum et violentum periculum, quia baptizans tunc parvulum revera non est causa ejus, sed tyrannus ex prava voluntate inde sumit occasionem inferendi vim, quam occasionem alter, qui baptizat, non dat, sed permittit propter majus bonum, ratione cujus non tenetur materiam ejus auferre. Aut hoc periculum imminet ipsi baptizanti, quod magis morale est; et tunc etiam (ut opinor) non excusatur ab obligatione baptizandi, vel propter defensionem fidei et honorem religionis christianæ, nam vix potest fidelis prætermittere hujusmodi collationem baptismi propter hujusmodi timorem sine magno scandalo et infamia religionis; vel generalius propter ordinem charitatis. Tenetur enim unusquisque plus diligere vitam spiritualem proximi, quam propriam corporalem; in eo autem casu æterna vita proximi periclitatur. Sed de hoc latius